

PROGRAMMA INVITATORIUM
DE
TVRGESCENTIAE IMPVRITATVM
GASTRICARVM DIAGNOSI,

Q V O

ORATIONEM
PROFESSIONIS MEDICINAE
EXTRAORDINARIAE

INEVNDAE GRATIA

DIE XV. MENS. OCTOBRIS A. S. R. MDCCG

HABENDAM

INDICIT

TRAVGOTT CAROLVS AVGVSTVS VOGT
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. PROSECTOR IN THEATRO ANATOMICO
PHYSIC. PRAEFECT. VITEBERG. NEC NON OPPIDI KEMBERGAE
ADIVNCT. SOC. OECON. LIPS. SODAL. HONORARIVS.

VITEMBERGAE

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII,

Pathol. spec.

441, 68

morb spec 1391

Vt diaeta nostra pro regionum, quas incolimus, et negotiorum, quibus fungimur, diuersitate, varietati et consuetudini lubenter paret, sic quoque medela morborum, prout mos aetatis ita fert, omni iure variat. Etenim cum remotio causarum morbos excitantium, in qua omnis curatio posita est, finis medicinae primarius ac vere vnicus sit; hanc quoque omnes, e communi fonte quae profluunt, causas, secundum regulas generales tractare oportet, qua in re ars pertinaciae minime accusanda est, sed potius propter obedientiam, quam necessitati ac prudentiae praestit, laudanda. Hac igitur ratione diaeta vniuersalis, cuius nationi propria, tam diu nimirum immutabilis seruetur, etiam vniuersalem methodum medendi requiret. Debilitate, communi vitio, laborat aetas nostra. Haec enim non Germanorum solum corpora prosternit, sed exteros etiam multis morbis obnoxios reddit, atque in hac, tanquam causa morborum communi, tollenda, medicina laudes honoresque maiores nostro aeuo, quam olim, consequi studet. Modus quoque infirmitatis curandae et emendandae certus ac constans ad vniuersalem fere medendi methodum restringitur, dum plures medici immediatam virium instaurationem, tanquam viam breuissimam, iucundissimam tutissimamque sequuntur, talibus medicamentis vsi, quae fibrae musculari irritabilitatem maiorem statim addunt, fibrae nervosae sensibilitatem fortiorem subito excitant, sanguinemque salito maiore calore velociter penetrant. Quibus corporis animalis viribus inter se in triumviratum coniunctis, simulque auctis, naturam, in quacunque re a via consueta errauerit, ad ordinem facile reduci posse, putant. Attamen, cum non ex vnico fonte debilitas, vniuersa morborum causa ortum

A 2

suum

suum ducat, omnino requiritur, vt causa eius primaria inuestigetur, et per symptomata ac signa essentialia notior fiat. Homo, vt animantia cetera omnia, cum ipse se intus nutriat, organaque, quibus materiam nutritionis sibi parat, in se habeat recondita atque inclusa, locum etiam, quem tenet, facile mutare, corpusque quoquoersum pro lubitu mouere potest, qua in re plantis ac reliquis vegetabilibus omnibus antecellit, vnico tantum loco immutabili, cuius frequens sine noxa mutatio accidere non potest, de illis enim, quae testis seuuatae circumferuntur, non dicimus, affixis, quoniam propter nutritionem terrae, e qua humores imbibunt, radices suas firmiter infigunt. Inde quoque elucet, hominem, cum sua sponte variis nutrimentis corpus conseruet, ipsum euadere multorum morborum auctorem, quorum causa in organis, in quibus nutrimentum corporis paratur, latet. Hominem vero pluribus, quam reliqua animantia, laborare morbis, inde certo pendere videtur, quod victum minus simplicem amat, instinctui plus minusve, raro quantum par est, obediendo, cuius vocem animalia non spernunt, quin lubenter audiunt. Sic homo multis rebus, per se non necessariis, arte assuescit, vt illis vix carere possit. Itaque morbi organorum digerentium, siue primarum viarum, digni nobis omnino videntur, quos paullo accuratius examine-
 mus. At cum haec prolusio eo magis publice proponatur consilio, vt animi gratissimi indicia iis praecipue notiora reddat, qui gratiarum actiones iucundissimis officiis iure annumerant, quam vt ingeniosam argumenti medici elaborationem ostendat; non omnem ambitum morborum gastricorum, vt dicuntur, complecti lubet, sufficiat *diagnosin turgescientiae cruditatum gastricarum* breuiter proposuisse.

Quid cruditates sint, ante omnia finiendum est. Crudum per se denotat materiam non digestam, crudum vero primarum viarum, massam etiam non digerendam. Pathologia vero cruditatibus, vt causis morborum primarum viarum excitantibus, partim omnes illas materias tubo intestinali heterogeneas

neas

neas ac peregrinas annumerat, quae, omni materia alimentaria orbatae, nullas omnino particulas vtilis et laudabiles amplius fouent, iusto vero tempore e corpore non eliminabantur, quamuis tanquam corpora noxia, statim expellenda fuissent; partim quoque eiusmodi notat massas, quae propter particulas, quas continent, vtilis omnino sunt ad nutritionem, at propter vitia primarum viarum nec subigi, nec in substantiam corporis mutari poterant. Illae reliquiae, quae perfecta digestionem iam subactae, omnique principio alimentario priuatae sunt, profundior sedem in tractu intestinorum tenent, faecesque formant, utpote residua parenchymatis siue contextus cellulosi, tum vegetabilis, tum animalis, e quo omnis materia nutriens extracta est; siue sunt residua corporum, a ventriculo propter substantiam quam continent, non subigendorum, quae vero admixtibile, proprioque odore et calore, aliquam similitudinem cum faecibus habent. Quae vero materiae per se quidem aptae omnino sunt ad nutritionem, at per vitia ventriculi non poterant immutari, magis in hoc, tanquam prima digestionis officina, haerent molestias haud leues inferendo, quas suis viribus superare non valet.

Aliam speciem materiae gastricae morbificae constituunt sordes, quae luculentiora vestigia substantiae animalis prae se ferunt, siquidem digestionem adhuc bene vigente, et animalisationem perfecta, in substantiales partes corporis fluidas subactae fuerint. Cruditatibus subtiliores sunt, nullasque amplius notatas massae, cui ortum debent, offerunt. Tres sistunt species: mucum scilicet, sanguinem et bilem. Bilis, humor animalis, si vel maiori copia, quam chyli quantitas postulat, duodeno et reliquis quae deinde sequuntur intestinis tenuibus influit; vel mixturem corruptam ostendit, quod haud raro accidit, dum nimirum consistentiam iusto spissiore vel tenuiore subit; vel denique iusto acrior redditur, in cruditates statim abit. Mucus etiam, quamquam naturalis intestinorum succus inspissatus, a quo obducuntur, atque ab acrimoniis omnibusque corporibus

peregrinis, defenduntur: in praeternaturalem tamen copiam increfcere, vel mixtionem fuam ita potefl mutare, vt iisdem fere vitiis obnoxius fit, quae in bile deprehenduntur. Hinc igitur vel immobilitate fua nocet et tenacitate, vel acrimonia, quam diutius quam bilis includere potefl, tandem detrimentum infert. Ipfe fanguis, quod mirum videri poffit, tanquam humor primarius et vniuerfalis machinae animalis, fimulae a finibus fuis, ac viis naturalibus errauerit, in mafsam reliquo corpori peregrinam facile degenerabit. Vel in ipfo ventriculo haeret, vel e faucibus, choanis, et pulmonibus eo defertur. Quae mafsa minime filentio praetereundae, quia peregrinis ingeflis nec fubactis nec fubigendis, merito quoque annumerandae funt.

Neque filentio praetereundi funt vermes, qui, quamquam fubftantiam animale[m] habent, tamen in corporis mafsam falutarem mutari non poffunt. Vtrum vero extus introducantur, an intus in ipfo corpore oriantur, id pro effectu diuerfo in corpore, in quo putredinem fubierunt, non pugnat. Hae vero duae fpecies materiarum morbificarum tubi inteflinalis, quas modo nominauimus, bilis fcilicet et mucus, purae commode dici poffent, quoniam in illis ipsis ftatim confpicere licet ac cognofcere mafsam, e qua compofitae funt. Alia vero fpecies magis ad mixtas pertinet, dum partim e cruditatibus, partim e fordibus compofita eft, quam commode dicere poteris Saburram, quae indicat materias vel e bile et muco, vel e bile et fanguine, vel e muco et fanguine, vel denique e tribus hifce fubftantiis fimul conflatas. Maffis hifce tam diuerfis, oculis nudis haud raro difcernendis, acrimoniae fubtiles immiftae funt.

Qua defcriptione feorfim facta, minus forfan displicebit L. B. diuifio in genus primarium, quod in vniuerfum dicitur *impuritates*, cui vero deinde tres fpecies ftatim fubnectendae funt, nimirum minus elaboratae, *cruditates*, mafsa fubtiliores iam digeftae et per fanguinem circumagitatae, quoadque afpectum, *fimplices*, *fordes*, vel ex hifce duabus compofitae *faburra*. Cruditates ab impuritatibus iam videmus feparatas a BOEHMERO in diff. *de cruditatibus ac impuritatibus primarum viarum*,
Halae,

Halae, 1776. De impuritatibus in vniuersum frugiferum confecit librum HILDEBRANDT hoc titulo: „*Geschichte der Unreinigkeiten in Magen und Gedärmen. Braunschweig, 1790.*“ Lectio quoque digna est WEDEKINDII diss. *de morborum primarum viarum vera notitia et curatione, nec non de morbis ex earundem affectionibus oriundis atque cum iisdem complicatis.* Norimbergae, 1791.

Quod vero fontem attinet materiae gastricae morbosae, varius est. Vel enim extus ingeritur tractui intestinorum per os, vt omnia alimenta solidiora, molliora, aut prorsus fluida, et medicamenta, quae munere alimentorum interdum simul funguntur. Quae substantiae omnes peregrinae sunt. Sordes vero et saburra, ope vitiosae ac corruptae secretionis intestinalis, in ipsis intestinis ortae, cum massam constituunt corpori naturalem, atque e sanguine, communi fonte omnium humorum secretam, indigenis annumerantur. Quadruplicem agnoscunt locum natalem, hepar et pancreas, glandulas mesentericas, glandulas intestinales, vasa exhalantia primarum viarum cum ipsis vasis sanguiferis, quando sanguinem fluidum siue coagulatum, vitiosa secretionem in ventriculo et intestinis effundunt. Salivam excludimus, quippe quae humor saponaceus vi resolvente et purgante praeditus, nisi simul secum ducat mucum, non diu remanere potest in tubo intestinali. Aliae porro essentielles corporis massae aliunde in tractum intestinorum deducuntur. Sic infantes tenelli, tussiendo pectus a mucositate purgant, at cum emolita ac separata exspuere nequeant, iterum deglutiunt. In angina suppuratoria tonsillarum, siue in angina putrida, haud raro impuritates oris cum sordibus per os ad stomachum descendunt. Sic defluxus sanguinis in ventriculum per haemorrhagiam narium accidit. In glandularum salivarium intumescencia, quae critico salivae effluxu feliciter resoluitur, per saepe magna salivae et mucositate copia simul oesophagum percurrit. In primis vero illa materia gastrica morbosae aestimanda est, quae e secundis viis tubum intestinale petit, sordes et saburram constituit,

stituit, et colluuiēs sanguinea dicitur. Inter omnes reliquas impuritates gastricas maxime latet et inopinato citius iterum increſcit ac augetur. Ignaros, non niſi antegreſſa ventriculi repletionē per alimenta, aluum aperiri oportere putantes, fallit, qui aluum parcam, vel prorsus ſuppreſſam, propterea ferendam ſuadent, quia fruſtra et temere aperiretur poſt inediam. Contra quoque grauiter peccatur ab iis, qui de aluo perpetuo purganda cogitant, cum potius euacuatione iuſto frequentiore incrementum ſordium gastricarum augeant, quam imminuant. Hinc igitur prauam conſuetudinem iure diſſuademus, quibus appetitus bonus, ac digeſtio ſana omnem ſuſpicionem praesentiae impuritatum gastricarum dirimere poteſt.

Diagnōſis impuritatum gastricarum tum ex his ipsis, tum, ſi copioſae ſunt, a febris, quam gastricam dicunt, propria indole repetitur. Quemadmodum pulſus index eſt diſpoſitionis phlogiſticae vniuerſalis, ſic *lingua*, vtpote initium primarum viarum, gastricum ſqualorem prodit. Omnis quae in lingua apparet ſentinae gastricae diagnōſis, ad materiae, a qua obducitur, copiam, colorem, mobilitatem ſeu tenacitatem, et locum vbi haeret, ſpectat. Itaque mox muco tenui, pellucido fereque naturali, at paullo tenaciore, mox ſpilioſiore et tenaciore, non facile mobili obducta eſt. Interdum colore ſtauo et ſubſuſco, interdum ſqualido tincta eſt. Neque vbiuis eadem mucī firmitas, nec craſſities eſt. Interdum ſolus linguae apex muco obſidetur, interdum margines vel radix ſola. Veſtimentum ſubſtauum mucōſas ſordes indicit, croceum ſiue fuſco ſtauum, biliolarum indicium eſt, ſubſuſcum et fuſco viride, bilem corruptam annunciat. Caue tamen, ne in hiſce ſordibus explorandis, reliquias alimentorum, modo ſupra linguam in oeſophagum delatorum, pro certis ſordium veſtigiis habeas. Potius linguae ſuperficiem in ieiunio explores.

Lingua nunc relicta, quae in regione *epigaſtrica* et *praecordiali* occurrunt ſigna ac ſymptomata, partim a ſolo aegroto, partim

partim ab hoc et medico simul percipienda, omnique attentione digna, perlustrabimus. Aegrotus insolitum sentit pondus ventriculi, quasi ultra modum cibis repleti, pressionem, anxietatem, dolorem tensionum, qui regionem praecordiam angustiorum reddit pectusque contrahit. Quorum symptomatum grauitas imprimis post partum increfcit, quamuis venter modice tantum fuerit repletus, eodemque tempore anxietas vix ferri potest.

Nunc *appetitus* solito debilior, aut prorsus deest; atque pro varia impuritatum copia, absentia eius grauiora symptomata secum fert. Solus appetitus deficit, vel eo, quo alias solebat redire, tempore, cessat. Ne vero hic erroris quid in diagnosi subrepat, accurate sciendum, quibusnam alimentis, quantaque eorum copia, aegrotus ventrem suum repleuerit. Etenim cum eum solummodo appetitum naturalem nominare fas sit, qui a iustis causis ortus, per debita temporis interualla rediit, non statim appetitus laborat, qui ventriculum iusto largius repletum, paulo tardius ad alimenta denuo ingerenda inuitat. Appetitus sine aliorum symptomatum praesentia deletus, statum leuiorem indicat, exiguamque impuritatum copiam prodit. Qua magis increfcente, perfecta quoque nausea orietur. Ex accedente tandem vomitione ipsoque vomitu, ad summum gradum malum adscendisse apparet.

Saporem quoque, in tali rerum conditione varium esse oportet, dum linguae semper aliquid inhaeret ab exhalatione gastrica relictum. Constat enim initium primarum viarum proprie in lingua esse quaerendum. Hinc sapor amarus index est sordium biliosarum; nidorosus, qualis est odor ouorum putridorum, si a sordibus putridis venit; vappidus in sordium mucosarum praesentia; rancidus, si sordes pingues adsunt. Sapor acidus cum deficiente siti dentibusque hebetibus, indicat acorem primarum viarum. In ieiunio sapor alienus impuritates indicat, quo tempore lingua testis certus est. Variat interdum sapor matutinus a coena solito largiore et tardiore. Qui, si ce-

B

leriter

leriter transit, testimonium exhibet paucarum tantum impuritatum, si autem meridiem attingit, maiorem eorum copiam manifestat. Si post prandium adhuc percipitur, post usum talium alimentorum, quales singularis instinctus postulabat, a quibus potius saburrae destructio expectari poterat, malum iam pertinacius factum esse probat, impuritatum enim tanta iam orta est copia, ne eorum exhalationes ac vapores ab alimentis absorberi possent.

Ex odore quoque cognoscitur primarum viarum conditio in infantibus. Acidum redolet habitus infantum lactantium, si acore gastrico laborant. Capiti et sensorio communi molestias pergraves infert squalor gastricus ex consensu inter hepar, duodenum ac caput. Praeclarum imaginem sordium gastricarum depinxit CELSVS de Medicina Lib. I., ubi de vomitu agit, quem turgescitiae gastricae opponit, ut tutum remedium „itaque ubi amari ructus cum dolore et gravitate praecordiorum sunt, ad vomitum protinus confugiendum est. Idem prodest ei, cui pectus aestuat et frequens saliva vel nausea est; aut sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est“ ac habitum oculi accurate descripsit. Impuritates vero, quod probe tenendum est, propter accuratam quam postulant tractationem, duplici in statu versantur. Vel enim mobiles sunt, i. e. tam facilem iam subierunt mixtionem perfectamque resolutionem, ut e quaavis leni reactione tractus intestinorum statim sine fortiore nisu euacuari possint, et quidem via, qua primum commode id fieri possit. Hunc statum bene cognitum ac perspectum habere debet medicus. Hoc enim temporis spatium maxime re vera sunt mobiles et fluidae atque ad euacuationem aptissimae. Quod si frustra praetermittitur, in sanguinem ex parte facile transeunt, atque natura ad reactionem semel stimulata et prouocata, nisi statim succurritur, languet, aures deinde obtundit, ac deinde perperam iterum saltim difficile arte ad reagendum excitatur. Hoc quoque momento impuritates motae ac circumactae sibi relictae spasmum facile efficiunt per omne systema valorum ac
neruo-

neruorum facile ulterius distribuendum, quo durante deinde coërcentur ac firmitus includuntur. Qui tandem commodissimo hoc tempore ad euacuationem uti nolit, quo via euacuationis oculis incurrit, deinde vix aptam viam inueniet, saepe contra coactus per anfractus educet, quod breuissima via fieri poterat.

His nunc praemissis, facile erit, exinde signa turgescen-
 tiae seu mobilitatis sordium gastricarum repetere, atque, quid
 faciendum sit, deducere, cum turgendo viam simul euacuationi
 aptam, indicent. Est enim ipse tubus intestinalis, siue canalis
 ille membranaceus, miris variisque conuolutionibus tam arcte
 contractus, ac inter se complicatus, ut vix credas, tantum tra-
 ctum, postquam omnia intestina explicata suoque vinculo libe-
 rata ac distracta sunt, tam angusto spatio includi posse. In ore
 incipit a lingua, in ano finitur per intestinum rectum, quod est
 inter crassa infimum. In abdomine, quod maximam eius par-
 tem abscondit, in duas regiones iterum diuiditur, alteram sci-
 licet, quae supra, alteram, quae infra mesenterium iacet. Illa
 breuissimo quidem tempore, at nisu praeternaturali magisque
 molesto, ope artis sponteque sua, quod in se habet, per os red-
 dit; haec autem faciliori negotio omnia, quae continet, vel
 consueto tempore, vel praeter ordinem, per anum deiicit.
 Pro ventre igitur ac duodeno os hiat, pro reliquis intestinis
 ani orificium patet.

Signa impuritatum mobilium. Opinione citius, quouis fe-
 re temporis momento increfcunt. Num quantitas earum vere
 augeatur, an modo quadam fermentatione, maiorem enim aeris
 copiam euoluere videntur, turgorem voluminis efficiant, certis
 argumentis probari nequit. Reliqua quoque impuritatum sym-
 ptomata augentur, tum eorum, quae iam aderant, intendi-
 tur vehementia, tum noua accedunt prioribus. Ad haec prae-
 primis pertinent dolores spastici. Qui si iam antea per consensum
 inter ventriculum et pectus, cor inquietum reddebant, ac cum
 vasis suis ad celeriores ictus incitabant, eo magis nunc hoc irri-
 tabunt,

tabunt, febremque, vt breuiter dicam, cum aestu maiore incendunt. Sordes linguae tunc quoque facilius recedunt ad modum pultis, dum dentibus perstringitur, deglubi possunt. Foeditas odoris, sapor nauseosus amarus, vomituritio, ructus, flatu, omnia haec symptomata maiori copia, celeriore decursu, ac molestia vrgent. Praecordia cum reliquo abdomine tument, vnde respiratio anxior redditur. Vrina nunc magis saturata fluit, iumentosa, crocea.

Immobilitatem impuritatum indicant symptomatum lenitas, quae aegrotus adhuc perferre potest. Sapor nondum penitus corruptus, nausea appetitui locum adhuc cedens, amarities, quae victum carnosum nondum prorsus respuit, nausea, quae odorem carnis perfert, digestio nullo vomitu intercepta. *Lingua* parum squalorem firmissime retinet. Vrina aquosa parum tincta, variat sedimentis ac odore. Sensorium viget, somnus quidem adest, sed iusto tardior citiorque aegrotum opprimit, parumque resectum mane relinquit. Languor motum musculorum voluntarium valde coërcet, imprimis pedes facilitatem gressuum recusant.

Sordes sursum turgentes, quae per ventriculum ac duodenum tendunt, his signis cognoscuntur. Lingua molli mucro crasse obiecta est, qui dentibus facile abstergitur. Sitis augeatur, praecipue a sordibus cum bile mixtis. Sapor amarus similes ructus eiicit, fastidium omnium fere alimentorum adest, vomitus est in propinquo. Dolet frons, vertigo reliquum caput infestat, madent oculi, deliria animum turbatum indicant, congestiones caput occupant. Praecordia magis intensa, sensu ponde-

ponderis grauiſſimi vexantur. Anxietate magna anhelat aegrotus, quae in febris gaſtriciſ bilioſis ad ſummam melancholiam aſcendere poteſt. Saepe quoque cardialgia oritur, dolor ſpaſticus ſedem ſub coſtis ſpuriis figit, aegrotum ita turbat, vt perpetuo agitato nullibi quietus decumbere poſſit. Dolores ſub diaphragmate in latius ſpatium extenſi, omnem quoque oeſophagum tenent. Dolores pleuritici oriuntur, aurium ſuffurſus, extremarum partium rheumatismi. Vrina ſatis tincta fluit crocea. Summus languor vitam moleſtam reddit ac taedioſam.

Sordes deorſum deuolutae inteſtini recti ſphincteres vi aperire videntur. Hinc abdomen circa umbilicum, et paullo inferius in regione hypogaſtrica, maiore tenſione infeſtatur. Pectus autem paullo liberius ſe habet. De hoc etiam ſtatu egregie ſcripſit CELSVS de Medic. Lib. 2. c. 3. „Si inflatio in ſuperioribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum ſignum eſt (turgelcentiae) ſonitus ventris inde ad inferiores partes deuolutus, magisque etiam, ſi ſine difficultate cum ſtercore exceſſit.“ Dolor a partibus ſuperioribus ad inferiores regiones magis extenditur, flatus vel clam ſe ſubducunt, vel cum ſonitu erumpunt, alui ſentina foetida expellitur. Vrina iumentofa, cralla, ſpumofa effluit. Regionem lumbalem aegroti ſentiunt fere immobilem, horripilatione perfuſam, pandiculatione diſtractam, ſenſu ponderis oppreſſam. Egregiam de dolore lumbali continent obſeruationem, Aduerſaria medico-practica Lipſienſ. Vol. I. p. 4. qui ab impuritatibus primarum viarum in febris exanthematicis oriri dicitur, atque poſt harum expulſionem ſtatim euaneſcere. Femora ita vacillant progrediendo,

do, ut gressus suos aegroti non valeant firmare. Insolitus sudor circa umbilicum erumpit, murmura ventris audiuntur, borborygmi. Lingua tremulans humidior redditur. Haec de diagnosi fordium gastricarum dixisse sufficiat, pauca adhuc addere iuvat de utilitate inde in artis usum redundante.

Breuiissimum modo turgescientiae tempus, quod cunctando non seruatur, sed perditur. Itaque hisce praecaris momentis bene uti discat medicus, cum tempus irreparabile, semel praeterlapsum reuocari nequit. Hoc in casu naturae potius ministrum, ut aiunt, quam magistrum agat. Non sit prudentior natura, sed hanc ipsam agnoscat magistram. Hanc sequatur, nec pertinaciter viis, quas sibi elegit, inhaereat. (Vid. Celeberrimi BOEHMERI, Fautoris Venerandi, dissertationes, quibus docetur: *naturam praestantiorum esse arte in re medica et oeconomica*. Viteberg. anno 1772 et 1773.) Quod si fecerit, felicissimo artis usu saepe delectabitur. Facile enim intelliget, quonam tempore, et quibus quantisque medicamentis indigeat. Turgescientiae tempore medicamenta euacuatoria, alias inertia, saepe sunt efficacissima, ut dosis parca haud exiguos edat effectus, (ex hoc fonte fluit maximam partem dissensus de vario medicamentorum effectum) qua in re grauius peccatur. Spasmi tempore turgescientiae orti non temere per medicamenta antispasmodica, minime illis, quibus simul vis inest alui ianuam claudendi, tractandi sunt, dum ipsae impuritates turgescentes causa spasmorum sunt. Euacuantia hic optima sunt antispasmodica. Ne ultra tempus foueantur impuritates primarum viarum quoque docet turgescientia. Dum enim turgent, aequae facile inclinant ad transitum in sanguinem, quam ad exitum per
orificia

orificia tubi intestinalis, et natura, cuius stimulis aures ob-
 sequentes non praebebamus, deinde obmutescit, frustra que
 iterum ad certamen prouocatur. Quo in casu aequè videtur
 consuetudini parere ac in statu sano, si naturales excretionès
 aluinae ex ordine sequuntur, (vid. Celeberr. GEORGII AV-
 GVSTI LANGGVTHI dissert. de stimulo naturae non obtundendo.
 Vitebergae 1774.) quae si apto et solito tempore negligun-
 tur, incongruo tempore eueniunt. At quoque impurita-
 tes chronicae, praeprimis mucosae, nulla turgescencia motae,
 primis viis inesse possunt. Caue igitur, ne tutus reddaris,
 sed apta elige medicamenta ad turgescenciam excitandam.
 Scire quoque oportet, quasdam fordes specifica et propria
 irritabilitate cuiuslibet visceris chylopoei, inprimis autem he-
 patis, produci posse inque dies augeri ac nouam turgescen-
 tiam efficere, quam continuo euacuantium usu ex voluntate
 prouocare poteris. Hancce vero turgescenciam potius sup-
 primendam esse, quam excitandam ac prolongandam, per se
 patet.

Sed haec hactenus. Nunc quoque gratissimi animi,
 quod de fine huic prolusioni imponendo propterea me serio
 monet, vt SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
 SAXONIAE Munificentia erga me aliis quoque statim no-
 tior fiat, officium me impellit ad preces sanctissimas arden-
 tissimasque pro CELSISSIMAE DOMVS ELECTORALIS inco-
 lunitate laetissima, vigore splendidissimo, incremento amplif-
 simo, imo ex pectore in loco publico fundendas. Ornauit
 me munere *Professionis Medicinae extraordinariae*, quapropter
 oratio recitanda est *memorabilia anatomico pathologica corporis mas-
 culini*

culini nuper in theatro nostro dissecti, proponens. Ad quam beneuole audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLUSTRISSIMOS COMITES ac LIBEROS BARONES, PATRES OMNIUM ORDINVM ACADEMIAE VITEBERGENSIS CONSCRIPTOS, reliquos etiam, qui bonis litteris ac mihi bene volunt, FAVTORES ac PATRONOS, GENEROSISSIMOS ac PRAENOBILISSIMOS COMMILITONES, omni, quem pietas obseruantiaque exigit, cultu perhumaniter inuito. P. P. Dom. XVIII. post Festum Trinitatis MDCCC.
